



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 1. Sapientiſimè factum eſſe, vt non omnia ſint in vno loco.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Tertul-
lian lib.
de cult.
femin.

stis patriæ, quæ est terra viuentium, terra
benedicta, terra promissionis, terra sancta
& Sanctorum. Hæc aut ignorantes simpli-
ter, aut dissimulantes audacter, vt Tertullia-
nus loquitur, Conditorem traducunt, qua-
si homines è Paradiso transuenas, omnes
ad Caucasum relegarit.

C A P V T XVII.

*Etiam alias terras bonis, & laborem non
fugientibus bonas esse.*

§. I.

*Sapientissimè factum esse, vt non omnia sint
in vno loco.*



Esse ita, vti diximus, indubitatè
fatebuntur, quicunq; diuinis lit-
teris credunt. Sed obijcient, Non
esse omnem terram sanctam, neq; omnem
posse, ab ea felicitate, vocari benedictam:
Vt igitur, inter hirundinem & lusciniã,
ita & inter terram & terram discrimẽ ma-
gnum interuenire. Aliter enim vitam in
Tibure, aliter in Sardinia agitari. Saxos
esse, plurimis in locis, agros; arida prata,
solum sterile; paludosos campos; arenosos
regiones; irritò labore in cautibus semi-
nari. Et ibi quoque, vbi pinguis est gleba
nihil

nihil sponte prouenire. Denique omnem
messis spem sudoribus irrigandam. Nimi-
rum omnis querela, aut impatiens est, aut
stuporata. Stupidæ enim mentis est, omnia
ab vno loco exigere. Alibi Ceres, alibi Bac-
chus; alibi panis, vinum alibi quærendum
est. Neq; spicas de vinea vellere, neque vbi
seminatum est triticeum, racemationem,
facere oportet. *Numquid colligunt de spinis*
vnas, aut de tribulis ficus? Alia alibi felicius
proueniunt, vt commercijs sit locus, &
caussa humanæ societatis. Nemo foris e-
meret, si omnia domi nascerentur. Et, vt
videas, omnia prodesse, ipsa etiam saxa a-
liunde aduehuntur. Tu alteri pannum mit-
tis, vt corpus vestiatur; alter tibi columnas
mittit, quibus domum fulcias. Sic tibi la-
na, illi lapides, immò vtraque vtrique pro-
sunt. Rusticus è pago lac & butyrum fert
in urbem; ex vrbe refert instrumenta agri-
culture. Vtiliter igitur aliquid deest in vno
loco, vt id, quod superest, ad alterum locum
exportet, & amicitiam gignat necessitas
commeandi.

§. II.

*Terram malam multis utilem & gratam; bo-
nam noxiam fuisse.*

Gg 3

At

Matth. 7.
16.